Illustrissimum ac Reverendissimum

D. D.

PATREM CLEMENTEM MANZINI

A SANCTA TERESIA

Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo

SS. D. N. GREGORII PAPAE XVI

Antistitem Domesticum et Pontificio Solio Assistentem

EPISCOPALEM SUAM CUNEENSEM SEDEM

SOLEMNITER ADEUNTEM

QUARTO NONAS JUNII MDCCCXLIV

ITA ALLOQUEBATUR

D. BARTHOLOMAEUS DELLERBA

S. Th. Doctor

Capituli Cath. Prior et Prima Dignitas

CUNEI

Apud Joseph Bay Excusorem Episcopalem

264

Si tibi pandam, Amplissimė Praesul, nec tanto ardore adustos agros suis immanibus hiatibus reficientem e cœlo sollicitare imbrem, quanto nos tuum adventum praestolabamur, et ingenti adeo gaudio, ut impotentibus ejus motibus omnes se permittant, pectora nostra gestire, non ex veteri et quotidiana Ecclesiarum, quae novo donantur pastore, consuetudine conceptam gratulandi formulam velim in animum adducas. Caeteris jucundius accidit, potior laetandi ratio. Non enim nos orfanos ineluctabile fatum reliquit, sed liberum Parentis consilium. Quo errore, qua culpa ab uberibus ejus divulsi simus cum vix delicias delibare erat, et eximiae pietatis ac sapientiae dulcedine pasci, nihil nobis conscii sumus.

Neque mœroris ex nobis concepti vestigium reliquit; *sed propter gravia rerum suarum incommoda creditæ sibi Ecclesiæ congrua alacritate se præesse non posse* tantum asseruit. At res ipsa ex se loqui, et aliquid infausti, quod vi sua mentibus inhaereat, portendere videbatur, ut diceretur non haec Ecclesia cœlesti rore superinfusa, vel eam saltem, quod teneras arbores, si cultrix saepe mutetur aut amoveatur manus, fatum manere.

Ecquis tam vecors, de sua Ecclesia, de communi gloria adeo non sollicitus, qui talia cogitans, si temperet a lacrymis, angoribus non conficiatur? Adventus tuus expectatissimus nobis dignitatem, vocem nomenque restituit. Facto doces, Praedecessori tuo non aliquam nostri habitam rationem, sed eam, quae sancto Celestino e Petri solio descendere, nuperrime Odescalco Romanam purpuram in Divi Ignatii insignia convertere jucundum praestitit, e superis emissam vocem, ut honori juxta ac oneri cederet suasisse. Potior ne laetandi ratio?

Si pene ab interitu nos, Clarissimi Auditores, vindicaret quicumque sacra infula insignitus ad nos veniret in nomine Domini, quid, cum datum sit eum Pastorem complecti, qui spem nostram magnopere vincit? Nec quispiam ex mentis, quae omni eventu excitatur, inconstantia in istam spem nos erigi arbitretur. Quem enim praetereunt eximiae dotes et praeclarae adeo in omni genere virtutes, quae Ipsum amplissimo honore dignum reddiderunt? Praestans, quam in nos nutrit, benevolentia, ac divinum prope studium ex modestis verbis, quibus primum nos cœlesti pabulo refecit, ex ipso modo aspectu non excipitur? Apud lectissimos viros, qui undique tanta frequentia convolarunt, ut praesenti laetitiae immisceantur, avidisque oculis vultum Ejus veluti Angeli stantis inter eos intuentur, utinam adesset tantum flumen ingenii, tanta dicendi copia, ut sin exornare, saltem pro dignitate narrare valeret praecipua ab Eo praeclare gesta, quae spectabiliorum in nos certum pignus praebent! Aliqua licet molestia, quia cuique laude dignissimo ejus sonitus ingratus

contingit, pateretur tamen tum ob honorem, qui supremo virtutum Datori exsurgit, tum ut filiorum, in quos maxima fulgoris pars redundat, obsequio facilis indulgeat. Non is sum ego neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate cum his, qui hic sedent, comparandus. Evangelicae autem simplicitati, non compositae orationi assuetus, quomodo valebo sententias ac modos excogitare non injucundos vobis, et Ei potissimum, quem toties aureae locutiones Tulliano lepore expolitae in ipsa Latii sermonis et omnium disciplinarum sede permulserunt? Peculiari tamen dulcium Conlegarum gratia et obsequio dum sincero corde strictim delibare conabor quae quisque laetus diceret, quippe late sparsa ac disseminata, ut uberiores tanti muneris largitori referantur grates, et quam firmissimo fundamento incredibilis pene spes innitatur, vividius eluceat, trepidam navim ignotum pelagum tentantem aura lenitatis et facilitatis vestrae provehat ac dirigat.

Cum singula tempora propriis ut virtutibus, sic vitiis signentur, hisce, quibus nos vivimus, licet quibusdam elapsi ævi laudatoribus dandum non sit, infinita prope opinionum ac scelerum monstra sacra omnia pestifero afflatu contaminare, ac funditus evertere niti; tamen negari non potest, plures profundo veluti sopore mersos, ac apathiae servientes, ea nec odio, nec amore prosequi, sed neglectui habere. Porro ad hujusmodi serpentem luem a finibus nostris arcendam, vel excutiendum insitum torporem igne e sanctuario assumpto quis aptior Pastore hilariter a nobis excepto, qui congruas virtutes comites habuit ab infantia, sincerissime coluit, et in dies perfecit?

Vetustissimum divino Praecursori sacrum templum, quod sacris lymphis tinctum Manzini vidit, innocuos affectus Deo voventem admiratur, et suavem adeo Christi odorem effundentem, ut illecti eruditus Archipraesbyter caeterique sacerdotes, quos innumeros ingenio ac virtute decoros ferax parit Saxellum, junctis cum piis parentibus viribus, verbo et exemplo in tenero corde pretiosa jacerent virtutis et scientiae semina. Quam felici in agro effunduntur! Non praeceps in nugas, non effusa in delicias ejus tenera ætas, non insidiantibus voluptatum illecebris gaudens, eorum, quae humanam mentem inficere ac deformare valent; omnino nescia. In clericalem militiam adscitus, alacriori animo arduum virtutis tra-

mitem terit, nihil nisi grave, laudem ac dignitatem redolens, molitur. Quemadmodum tempore verno in herbescente segetum viriditate certa prope spes uberis messis apparet; sic omnes futuram magnitudinem tacite quodammodo praesentiebant. Ipsorum judicia confirmat dies inopinato modo.

Quo omnibus solutus vinculis, tutior cœptum perageret iter, a mundi commercio omnino segregari, et patriam, quæ ipsum quippe unigenitum manebat, non exiguam haereditatem, in delicias Domini, et in non fictum nectar in solitudine stillans commutare decernit. Nonnulli a Saxello Ordinem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo faecunda virtutum ac scientiarum varietate exornabant, ex quibus Hieronymus Badani in mathesis facultate Liguris Athenœi lumen et ornamentum. Felix illa regio, cui ingenia aliqua insignia in lucem edere datum est! Veluti acutis stimulis concitatus Manzini, Congregationem Excalceatorum S. Eliæ petit: aditum ei aperit tam praecox mundi contemtus, et quæ virtutis suæ ac ingenuæ spei jam fama percrebuerat. Nunc cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam ac conformatio disciplinae, exemplumque virtutum, non exurget nescio quid singulare et egregium? Mira ibi occurrit Ipsi nubes virorum, ex quibus alii studio sacras literas illustrarunt, scriptis haereticorum tela retuderunt, alii signorum splendore, et variæ sanctitatis candore optime de universa Religione meriti nunc æthera ornant, et alii ex aliis succrescere ac continenter propagari perenni quadam faecunditate numquam desierunt. Nihil aliud dies noctesque animo Clemens reputat, quam eorum si-

millimus evadere, ut juvenis senioribus, tyro exercitatis exemplum exhibeatur. A terrenis et inanibus rebus mens vacua, uberrima scientiarum copia brevi imbuitur, eamque in lucem ac adspectum profert, cum centum supra septem theses theologicas publice vindicat. Tum acumini ingenii, tum amplissimæ eruditioni, ac suavi dicendi facultati omnes ita plaudunt, ut quam sibi cumulaverat scientiæ suppellectilem, aliis continuo sufficere jubeatur.

At præ caeteris officiis excellit in cœnobiis magister novitiorum, qui nuper in horto Christi depactas ac consitas plantas copiosis cœlestium praeceptorum imbribus irriget, flectat et informet. Quanta in isto prudentia, sagacitas, quantus fervor expostulatur! Fundamentum enim ponere potest qui non sit prudens artifex? Iis dotibus adeo fulget Clemens, ut Pontificio privilegio electus, mirum supra ætatem judicium et insignem morum gravitatem probaverit. Dicat Taurinense, dicat Astense Cœnobium, ubi tantum sui desiderium reliquit. Ipsum sequor petentem Caream, quæ Illum novam domum in suis mœnibus erigentem, moderantem, et dum in sacris penetralibus philosophicas institutiones tradit, pastorales curas et labores in populos alacriter dividentem admiratur. Quocumque tendit, regula, disciplina concordia ipsum praecedit et sequitur. Omnes ejus vultum desiderant, aut saltem tantæ virtutis uberrimos rivos unius Cœnobii ac urbis spatio non definiri, omnes in id incumbunt.

Vix erecta Subalpina Provincia, ob singulare, quo flagrat, proprii Ordinis studium, Ipsi triumphatura et ad insignium splendorem evehenda committitur.

Quæ ob modestiam tantisper delituerat, excelso ex loco virtus mire emicat. Nihil sibi juris in subditos, praeter majoris modestiæ decus, praeter communem sollicitudinem vindicat. Frigentes in religionis amore vultu, voce, sed validius exemplo ad laborem et pietatem inflammat. Adeo prudentia, dominationis temperantia, atque opportuna duris etiam in rebus dulcium verborum admixtione animos sibi devincit, ut Clemens non minus re, animo et tota agendi ratione, quam nomine habeatur; et quod nonnulli vix Manlianis imperiis, ipse mansuetudine et lenitate assecutus sit. Ipse objectum spei et precum, Ipse amor et deliciæ sui Ordinis. Quid dicam sui Ordinis?

Grande opus magnis in urbibus animarum cura! Virtutis fastigium non admodum distat a vitiorum abysso. Puritatis lilium in cœno libidinis pene efflorescit. Alii divitiis affluunt; ingens pauperum numerus insolescit. Doctorum aures quadam dicendi venustate videntur alliciendi; indocti solidum cibum non ferentes sunt lacte pascendi. Praeliantis laborem experienti liceat laudare victoriam. Clemens Ecclesiæ S. Teresiæ Augustæ Taurinorum praefectus ut sol lucis et caloris sui radios et excelsis montibus et humilibus vallibus diffundit, omnia recreat et alit. Decorem domus Dei diligit, et sacro ornatu pios sensus adeuntibus instillat. Quos prius ritus imperita ac procax irridebat impietas, nunc mutato animo ob eximium Clementis ecclesiasticum ingenium humilis reveretur. Vitiis bellum movet gravi ac solido sermone, non fucis ac pigmentis illito, et metit triumphales palmas. Ex animo verba prodibant, ad animum

476

perveniebant. Quorum animos cælesti pabulo reficit, corporum necessitatibus subvenit; istoque amico imbre paulatim madefactum cœleste semen, facilius coalescit et germinat. Hic vero quanta mihi se se offert dicendi copia! CLEMENTIS caritatem praedicant et praedicabunt honestæ mulieres, quarum pudori consuluit; candidæ columbæ, quas a feris vulturis unguibus eripuit; innumeri, quorum lacrymas amice detersit, quorum ærumnas clam solatus est, et quos generosa manu non valens, angelico vultu et sermone lenivit, et ad meliora de se sperandum inflammavit. Blanda oris majestate, sermonis facilitate, acri indole eximia mansuetudine temperata omnes peramanter excipiendo publicus parens tantum sibi amorem et reverentiam conciliat, ut vel ipsi opibus, genere aliaque ratione spectatissimi nihil gravis alicujus momenti aggrediantur, quin suum Pastorem consulant. Ista, qua plurima floret, gratia non in sui commoda ac jactantiam utitur, sed ut protegantur oppressi, dissidia componantur, injuriæ reparentur, odia, vindictae impediantur, ut in sinus pauperum divitiarum thesauri diffundantur. Quot sapientes modos excogitavit, ne beneficia male locata malefacta fiant, ne ad socordiam et vitium fovendum detorqueantur? Inter hos eminent infantilia hospitia puellis alendis et instituendis ejus potissimum numine aperta, aliaque illuminatae caritatis vestigia ab ovium pectoribus nullo tempore delenda.

Cum in molestum, et innumerabili difficultatum agmine circumseptum, animi vulneribus medendi munus incumbit, est dux fidelis, amicus tener, magister tam feliciter suadens, *quia bonum est adhærere*

Deo, et melior est dies una in atriis ejus super millia in tabernaculis peccatorum, ut perpetuo auctorem et consummatorem salutis e cruce pendentem cogitare videatur, et ex illo dominico fonte haurire ignita verba, quæ ignominias Golgothae, æque ac Tabor delicias dulces reddant. Ubi agitur de consiliis dandis, quid expediat exploratum sic habet, ut in omnibus non mediocriter versatus videatur. Haec constans opinio, omnium animis alte insidet. Vel ipse excellentissimus ac reverendissimus Archiepiscopus, quem exquisito in pernoscendis hominum ingeniis, et ponderandis cujusque meritis acumine praeditum omnes profitentur, et res ipsa loquitur, Clementis prudentiam, fidem et animi magnitudinem demiratus, Examinatorem prosynodalem eum constituebat, plurima maximi momenti negotia ei committebat, asseverare non dubitans, Ipsum in regendo cuipiam haud facile cedere.

Nec quod ventis, ut, unde oriuntur, sint vehementissimi, ad longinqua fracti tenuesque perveniant; sed quod ingentibus fluminibus, quæ origine parva, progressu augentur, et eo amplioribus fluunt alveis, quo longius a fontibus suis recesserunt, hic accidit. Clementis a Sancta Teresia virtus ipsum praecurrit ad Tiberina mœnia. Qui ex universo orbe convenerant Carmelitani Ordinis praecipui tutores ac vindices, concordibus suffragiis se ipsos, suosque omnes ejus virtute protectos, laboribus quietos, periculis tutos, ductu prosperos ac beatos committunt. Hic brevi orationis ambitu quis complecti valeat quanta in eo fastigio fecit ad promovenda studia, quanta ad mores fingendos, quanta ad auferendam invidis

et improbis omnem obloquendi occasionem ? Cuncta ad felicem adeo exitum perducit, ut sola regendi causa in lucem prodiisse videatur. Omnibus probatur qui arduum unum aggrediens optime perficit. Amplioribus sane laudibus extollendus quem multitudo, varietas negotiorum non opprimunt, non terrent. Ob vehemens, quo fervet, veræ religionis fines proferendi, et eos, qui ab ea desciverunt, congregandi studium Missionarius Apostolicus, et Congregationis de propaganda fide Consultor renuntiatur. Tum venerabilis Petri Dei Genitricis, quo duce et auctore a Clemente Octavo instituta est illa Congregatio, et Carmelitani primi in Persiam missi sunt, tum Venerabilis Dominici, qui regnante Paulo Quinto, et tandem auspice Gregorio Decimoquinto primam sessionem aperuit, vestigiis inhaerens, nomen a majoribus acceptum insigni aliqua accessione cumulatum posteris tradit. Summus Pontifex haec laetus perspiciens, laudibus et honoribus Ipsum auget, cum Ipso sensus et cogitationes aperit, in Ejus consilio et adspectu acquiescit: in omnibus neque animus negotio defuit, neque decretis labor.

Cum res ita se habeat, mirum ne, si pientissimus Rex noster, cui splendidissimum protectionis suae argumentum Deum nuper dedisse omnes laetitia efferuntur, innumeris in nos collatis beneficiis hoc congerere volens, tantum virum optime de Ecclesia et Regno meritum nobis delegerit? Si ex hoc nuntio concepti gaudii vis non Ecclesiae solum beneficio affectae finibus se continuit, sed celeriter quaquaversus penetravit? Gloria purior et æquiore jure parta despicitur: fortuna modestior ab invidiæ ictibus

non est tuta. Hic res inaudita! ipsa invidia silentium sibi imposuit: cuncti Regis consilium commendant, cuncti Cuneensibus gratulantur de tanto munere, si quanti ipsis faciendum est, norint! Quam rara virtus! At ista dum aliorum oculos percellit, sibi soli, modesta et humilis, est ignota. Id Graecorum sapientum et plurium Sanctorum facta testantur. Indigni dignitates, sacras infulas inhiant: quos Deus vocat, oneri ferendo impares se habent. Gratias Summo Pontifici, qui tantam virtutem probe perspiciens, ut publicam utilitatem, qua nihil Ipsi antiquius et impensius, propriae voluntati praeferret, gravissimus auctor fuit. Obedientia de humilitate triumphavit.

De hoc triumpho gestit Capitulum Cathedrale, cujus temporibus fulgida adeo corona imponitur. Animarum Rectores eum ducem excipientes, qui intimos sensus et affectus facilis audiens, et gravissima consilia et vires addere valet. Flores Ecclesiastici Ordinis in deliciis habendi ab Eo, quem morum et bonarum artium studia delectant. Suis e sedibus gestit princeps hoc templum ornatum ut sponsa viro suo ob singularem excepti Angeli in sacras ædes magnificentiam. Cuncta Diœcesis vitæ omnes regendi artes edoctæ, per omnes honorificas sedes veluti gradus ad sacerdotale fastigium evectæ praemium et fructum repetitura. Exultant, et quis non exultaret? Nostris gaudiis, tua, optime Antistes, obsecro adjungas, et ne te pigeat a dilectis fratribus domicilio sejungi, ac dulcedine solitudinis privari, ut quæ abunde suxisti, in nos charismata diffundas. Scio equidem quam difficile, quam asperum dictu consilium

dare cuiquam mortali, cujus opes in excelso sint, quippe cum et illis consultorum copiae adsint, neque de futuro satis callidus, satisque prudens quis sit. At sine, ut mea sensa et vota aperiam. Spes aliqua veri gaudii videtur affulgere Tibi, quem mortalium salus et Dei honos tam potenter agunt. Plures ex tuo Ordine veluti e fonte rivi emanarunt ad irrigandas mysticis aquis terras, et adhuc sunt in benedictione. Ut veteres et exteros taceam, Nicensis Ecclesia jucunda recordatione colit Henricum a Provana; Turitana Archipraesulem Constantinum; Albensis Carolum Franciscum Praepositum etiam Generalem cum electus fuit. Quæ ipsi in sua, Tu in ista constitues.

Deo tantum fretus, quæ inter homines illustria habentur, nullis humanis praesidiis, tua Tibi virtute peperisti, propria fulges luce, quin ab alio accipere necesse sit. Te numquam honores aucupantem, sed recto itinere gradientem, et, quod summos viros efficit, cuncta absolvere studentem, gloria, quæ fugiens sectantem spernit, ultro veluti umbra corpus secuta est. Ad hanc sedem quid dubii, quin Deus Te evexerit? Non magnam evolvere licet seriem Episcoporum, qui hanc quippe recentem illustraverint, Tibique aculei sint ad sua vestigia premenda. Verum Tu istis non indiges; Tibi suppetunt virtutes, ut eam ad magna incrementa et ad celebritatem insignium provehas. Integritas tuæ vitæ principem hujus regni et totius Christiani Orbis urbem admiratione complevit, vividiori fulgore breves hujus Diœcesis fines perstringet. In Ordine tuo, qui Te parentem et vindicem praesentissimum colit et reverebitur in ævum, credita munia incredibili studio perfunctus es. Cum

proprio ovili arctiori, quod excogitari possit, vinculo junctus, nova ex alto virtute indutus, in alium virum mutatus, quid erit tam arduum, si quam utilitatem praeseferat, quod cogitandi et audendi in promptu non habeas? Neque pertimescendum, ne ardor tuus alteri virtuti officiat. Illa, quam ex Platone commendat adeo Augustinus, et profundus mortalium cognitor in praeficiendis populorum regimini sollicite quaerebat doctissimus Benedictus Decimusquartus, prudentia est Tibi familiaris. Ex variis et difficilibus negotiis, quæ instituunt quemque, ex usu cum viris in unaquaque re versatis, ad quos graviores pastoralis ministerii partes deferuntur, cognoscis, quid petendum, fugiendumve, quibus viis tum Ipse pervenire, tum alios perducere queas, quid rerum, personarum, temporum, locorum adjuncta postulent. A decretis perficiendis omnia facile removet obstacula gratia, qua plurimum polles, apud sanctæ fidei Ecclesiaeque Protectores non fortuna commodata, sed firma pietate et doctrina quaesita. Ex hisce facultatibus mira quaedam non coalescit ac prope divina majestas et auctoritas? Haec quidem omnia a benignitate sejuncta, sicut reliqua inusitata, reverentiam et admirationem, non amorem conciliant. Insita Tibi divinae lenitatis participatio quaedam omnium animos devinciet. Amplitudo tua, ne dum benignitatem minuat, causa erit, cur uberius se diffundat: sic publicus fons, ut expandatur, erigitur. Probe edoctus modestiam cum honore amico fœdere jungere, auctoritatem cum gratia, nec Te extollere, ut magnus videaris, nec evilescere, ut sis officiosus, maximo vitae bono, heu rarum felicitatis

genus in isto fastigio! Dulcedine societatis frueris: non modo dignitati tuae, sed Tibi ipsi amicos habebis, et addictos.

Ita tecum agere, ut quod ipse intus sentio, libere aperiam, maximo honori, et oblectamento sibi vertunt singuli Senatus tui Assessores, qui saltem honore, obsequio et studio in suum Episcopum nemini umquam concessisse se jactare possunt, Tibique ostendere certant. Æque ac reliqui Deo militantes expressam ecclesiasticarum virtutum effigiem veluti in fidissimo speculo in Te conspicientes, nequeunt quin fere admotis facibus earum amore flagrent, et saltem iniquis passibus sequantur, quem ducem habere gloriantur.

De universi gregis indole non hic locus, ut multa dicantur. Taceo Cuneensium caritatem, de qua loquuntur plura publica monumenta, plura molimina Te duce et auctore perficienda. Taceo pietatem, quam a tuo sodali, qui elapso anno verbum salutis ebibentes eos laetus vidit, et a tuo municipe Badani, qui semel et iterum hoc praedestinationis signum in Cuneensibus demiratus est, accipere potuisti. At, quod ad rem magis facit, silentio praeterire non possum, Cuneenses singulari dilectione suum prosequi Episcopum, quo repetitis adeo precibus et improbis conatibus primum donari meruerunt.

Si tua benignitate ulterius uti daretur, innumera hujusmodi argumenta exhibere possem, quae vidi et audivi cum per aliquot annos testis essem vitae et virtutum primi Antistitis *Amedei Bruno a Samone*, ætate provecta, votis tamen omnium immature praerepti. Ejus beneficia ac praeclare gesta, ejus suavis

memoria altius quam omni fereo stylo mente et pectoribus inusta servantur. Et si tabula marmorea honoris, et grati animi ergo incisa, si virgines seminarii ædes vastissimæ et expolitæ formæ universa ejus haereditate partim e fundamentis excitatae diuturnitate temporis consumi potuerint, gloriam ejus et memoriam nulla delebit vetustas, nulla obscurabit oblivio.

Nuper vero Urbis frequentiorem animarum curam adeptus, eos omnes, qui aviti generis splendore, aut honoris amplitudine opibusve caeteris praestant, humanitate, officio, pietatis studio excellere, et ingenium auctoritatemque suam conferre ad omnes in officio continendos, et religionis vinculo deviciendos, tibi asseverare fidenter possum. Si procerum exemplo reliqui vel inviti abripiuntur, dignitatis divinitus tuis meritis traditae, cui ampliora insignia et eximiae virtutes gratiam et ornamentum addunt, majestate suaviter illecti debita reverentia, docilitate et admiratione te prosequentur. Non tantum quod jure in homines exercetur, sed quod virtuti ac merito ultro defertur, perpetuum in animos obtinebis imperium. Cœlestia praecepta et monita, quæ tanta suavitate porrexisti, et traditurus es, avidis auribus accipientur, opere complebuntur, mutuum erit, et perfectius in dies, quo nunc perfundimur, in Domino gaudium. Ex tuis praeclare per orbem gestis quibusdam veluti alis sublati molto ulterius provolantes jam cogitatione quadam, speque oblectamur, et suavi florentis istius Ecclesiae imagine pascimur. Nostra nos non fallet cogitatio, C. A, majora quin imo, quam expectamus, mirari erit, si quam de vobis

omnibus habeo et exhibui opinionem, deficere numquam patiamini. Patrem ergo peramanter colite, magistrum fideliter audite, Episcopum vestrum reveremini, ut Christum, fausta quaeque et prospera Ipsi a Deo precamini. Haec omni, quo fas est, jure debentur, omnibus cordi perpetuo sint. Praepotens Deus perfecti operis auctor, qui in nos efflagitantes tam eximiis virtutibus praeditum Pastorem contulit, concordibus bene utentium precibus motus sin immortalem, diutissime incolumem sospitabit, ut quae in pectore gerit, ad sui gloriam, ad nostrum decus et praesidium perficere valeat.

FINIS

V. Imprimatur
Taurini, die 14 junii 1844
Pullini pro Magna Cancellaria.

Ill.^{mi} ac Rev.^{mi} D. D. Episcopi

EXIMIUM RESPONSUM

Quæ a præclarissimo omnium vestrum interprete ac duce modo mihi pandebantur sincerissima charitatis et obsequii sensa, venerabiles Fratres, eximia totius Cleri universorumque civitatis Ordinum officia, queis in spectatissimam hujusce Ecclesiæ sedem excipiebar, eos in me sane grati animi sensus exuscitant, ut illos dignis exequi verbis nullo modo possim. Quin et voluptatem ex iis capere maximam, et in publicæ lætitiæ partem decedere æquissimum esset, si illis revera ornarer dotibus, quas et multorum nimis certe favorabilis opinio, et egregii Oratoris persingularis humanitas mihi tribuendas esse duxerunt. Verum quum tam arduo periculosoque muneri me imparem omnino sentiam, subeantque continue mihi districtissima commissæ villicationis ratio Pastorum Principi Christo reddenda, judiciumque sustinendum, hinc est quod tam effusam inter vestrum omnium gratulationem totque inter præconia, me, mei conscientia

ad timorem potius, quam ad lætitiam adductum, nequeo quin ingenue coram vobis omnibus fatear.

Ast dum nimiam, qua circumdatus sum, infirmitatem ultro palamque profiteor, non is tamen sum, qui et animo despondere, et vos demitti arctarique animis velim; Deus enim O. M., qui mirabili sua providentia ad perillustris huius diœcesis regimen me accersivit, juvabit utique, spero, tenuitatem meam, eriget animum, dabitque virtutem cui contulit dignitatem, ut in hac excolenda vinea sua certam meam vocationem et electionem faciam.

Ad quod tutius consequendum validissima mihi quoque polliceor adjumenta ex amplissimo Collegio vestro, atque imprimis ex viro utique egregio, qui pientissimi Prœcessoris voluntate primum, ac deinceps vestra, diœcesi universœ, Vicaria potestate, maxima cum laude consuluit.

Qua quidem jucundissima spe roboratus, ac divina prœsertim gratia fretus, pastoralia munia fidentius ineo.